



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 244. Et nos quidem iusti. v. 41.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

§. 244. *Et nos quidem iusti. v. 41.*

Iustus accusator sui est, ait scriptura, mira sententia, vera tamen nam per fidem iam iustificatus primum agnoscit, sicuti latro bonus, & confitetur peccata sua, & innocentiam Christi, & contritus de his, libens recipit pœnitentiam & pro satisfactione crucis mortificationem, confusionem & tormenta huius vitæ tolerat & exemplo est alijs ad conversionem, hinc exaggerat peccata sua dicendo aliquando etiam coram hominibus, ea gravissima esse, & pœnam maiorem meruisse quam ferat.

Salve latro, salve pœnitentium exemplar. Tu melius ostendis viam salutis quam Apostolus Christi Iudas, iste ex Apostolo factus est Dux volentium vitam. Salve ego te sequar in pœnitentia, qui secutus sum in impœnitentia. Latrocinatus sum ego, pro dolor, animam meam peccatis occidendo & aliorum animas scandalum dando. ecce pœnitentiam ago, & iam incipio.

§. 245. *Nam digna factis recipimus. v. 41.*

Pergit latro bonus prædicare ex sua Cathedra & tacente principali magistro propter causas ratiocinabiles sub magister pro eo verbum bonum eructat quod principalem Magistrum loqui non quadrabat, nempe confessionem culpæ, cui debita sit pœna, quam portant, quasi diceret, iusto iudicio & ordinario processu, damnati sumus, quia fures & latrones, bonorum spoliatores fuimus & vitæ hominum præter innumera alia peccata de quibus coniuncti iudicialiter & confessi. hic autem Iesus sanctus segregatus à peccatoribus nulla contra eum allato testimonio veraci, neque confessus, sed tanquam ovis innocens ad victimam ducta, per aliorum invidiam & peccatorum in hac specie damnationis reperitur, & ideo tu peccator non habes ius ipsi improperandi damnationem.

Vide quantam suorum criminum cognitionem habuerit pius hic latro, quantoque eorum odio tactus sit, dum ait, *nos quidem digna factis recipimus!* comprobatur iudicium sententiam, eique subscribent, libenter se mortem subire profiterentur: deinde non timet irritare Iudæos, à quibus iratis tunc maxime omne genus ludibrij & cruciatus expectare poterit, maxime cum alter latro contraria via gradiebatur, qui, ideo, ut credibile est, conuitia in Dominum tam acerba iaciebat, ut ea ratione Iudæorum sibi conciliaret benevolentiam, quod tamen iusto Dei iudicio non obtinuit, At hic, cuius cor tetigerat criminum suorum dolor,